



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XXIX. De Sacrilegio per effusionem sanguinis humani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

40 Erot. Eccl. Cap. XXIX. De Sacril. per effusionem &c.

9. *Quer.* An furatus rem Sacram de loco Sacro teneatur utramque circumstantiam in confessione aperire? *Resp.* Negativè, quia utrumque est ejusdem speciei contra virtutem Religionis. Coton. *ibid.* num. 41. At utraque circumstantia tanquam valde aggravans esset exponenda. *d. decis.* 25. num. 17. de Panit.

10. *Quer.* Quomodo committatur Sacrilegium per exercitium Judicii Sæcularis? *Resp.* Committitur Sacrilegium, si Laici Judices in Ecclesiis, seu locis Sacris Tribunalia erigant, quod de Jure Canonico est prohibitum. *cap. 1. de Immunitate Eccles.* & est peccatum mortale ex genere suo; & acta sunt ipso Jure nulla, exceptis actibus voluntariæ Jurisdictionis. Thesaur. de Panit. *d. Verb. Sacrilegium c. 2.* ubi DD.

11. *Quer.* An testes possint citari in Ecclesia, vel in ea examinari à Judice Laico? *Resp.* Negativè, ut contra Legistas contrarium scribentes probat Sperell. *decis.* 140. per totam, & præcipue à num. 51. & seqq.

CAPUT XXIX.

De Sacrilegio per effusionem Sanguinis humani in loco Sacro.

1. *Quer.* Quomodo Sacrilegium committatur, per sanguinis humani effusionem in loco Sacro? *Resp.* Committi Sacrilegium, quando per violentiam, & injuriam homo in loco Sacro offenditur, ita, ut sequatur vel homicidium, vel humani Sanguinis effusio. Petrus Franc. Passerinus in *tract. de Pollut. Eccles. disp. 5. & 6.* Sed quia Passerini opiniones in hac materia sunt nimis largæ, Lector in casu practico videat Barbof. *de Episc. Alleg.* 28. Lezanam *tom. 3. V. Ecclesia num. 12.* Et meas Decisiones *De Sacrif. Missæ Decis.* 40. per totam.

2. *Quer.* Quodnam homicidium requiratur ad Ecclesiæ Pollutionem? *Resp.* Homicidium proprium, & corporale, per quod anima à corpore hominis violenter separatur; non autem improprium, vel figuratum, ut sunt furta, detractiones. Passerini. *d. disp. 5. cap. 1.*

3. *Quer.* An per nocumentum lethale illatum homini in Ecclesia, sed sine sanguinis effusione, Ecclesia polluitur? *Resp.* Negativè, quia homicidium debet esse verum, & consummatum in Ecclesia, ut pluribus DD. probat Passerini. *disp. 5. cap. 2.* Quod tamen procedit, si ex eo nocumento mors non sequatur. Cæterum, si mors ex eo eveniret, prout in illo, de quo ait Diana *par. 6. tract. 6. ref. 26.* qui in Ecclesia Regularium fuit arenæ sacculis ita acriter contusus, ut post tres dies extra illam mortuus sit; in hoc casu, quamvis aliqui negent, Ecclesiam pollui, verior sententia est, eam pollutam censer, quia causa, & malitia homicidii fuit completa in ea; ut defendit Passerinus *d. disp. 5. cap. 4.* ubi aliud dat exemplum de eo, qui in Ecclesia fuit resti, seu laqueo strangulatus, sed antequam expiraret, raptus fuit extra Ecclesiam, ibique paulò post mortuus fuit; nam

certè, & in hoc casu Ecclesia est polluta. Pax Jordan. *lib. 11. tit. 3. num. 330.* & Antonell. *de Regim. Eccles. lib. 1. cap. 16. num. 6.*

4. *Quer.* An è contra, si extra Ecclesiam quis percutiatur mortaliter, & ingressus Ecclesiam in ea moriatur, sit Ecclesia polluta? *Resp.* Negativè. Gloss. in *cap. Unico. De Consecrat. Eccles. in 6. Verb. Sanguinis.* Passerini. *d. disp. 5. cap. 5. num. 4.* ubi num. 5. id ampliat, quamvis Percussor esset in Ecclesia, puta si feriret saxo, sclopeto, aut lancea, vel gladio aliquem existentem extra Ecclesiam; quod docet etiam Jord. *lib. 5. tit. 11. num. 15. & 16.* At è contra Ecclesia esset polluta, si percussus lethaliter esset percussus in Ecclesia, quamvis percussor percutiendo staret extra Ecclesiam. Passerini. *d. cap. 5. num. 5.*

5. *Quer.* An Ecclesia polluitur ex homicidio intra illam causato, si mors non evenit, nisi post multum tempus? *Resp.* Pollui, quando sufficiens causa homicidii data fuit in Ecclesia, & ex ea causa vere mors sequatur, & ea sit notoria, & cum scandalo. Passerini. *d. disp. 5. cap. 6.* Antonell. *de Regim. Eccles. lib. 1. cap. 16. num. 6.* Jordan. *lib. 5. tit. 12. num. 70.*

6. *Quer.* An Ecclesia polluitur per homicidium inculpabile? *Resp.* Cum distinctione. Vel culpa est Theologica, id est, cum malitia voluntaria; vel culpa est Juridica cum solo errore intellectus. Si est homicidium inculpabile, quia defecit culpa Theologica, non est Ecclesia polluta; multo minus, si est absque culpa Juridica. At si fieret cum culpa Theologica, semper pollueretur. Si cum culpa Juridica non pollueretur. Passerini. *dict. disp. 5. cap. 8. num. 4. & 5.* ubi firmat homicidium mero casu in Ecclesia commissum illam non polluere. Quod si dubium esset, an quis homicidium commississet ex culpa gravi, vel ex culpa levi, Ecclesia erit polluta. Si verò dubitaretur, an fuisset commissum sine ulla culpa, vel cum aliqua culpa, & hinc inde essent probationes æquales, in hoc casu non esset polluta. Passerini. *d. disp. 5. cap. 9.*

7. *Quer.* An polluitur Ecclesia per homicidium commissum non contra Justitiam, sed contra charitatem, puta, si quis dives permitteret pauperem mori ob famem in Ecclesia, vel medicus infirmum ob negatam medicinam? *Resp.* Negativè, quia homicidium debet esse violentum, & contra justitiam. Passerini. *d. disp. 5. cap. 10.* Quod procedit, si ex sola omissione charitatis procedit, secus si ex aliqua positiva operatione ad hunc effectum. Passerini. *d. disp. 5. cap. 26. num. 5.*

8. *Quer.* An polluitur Ecclesia, si in ea ex errore Petrus occidatur à volente occidere Paulum? *Resp.* Cum distinctione, quia dupliciter iste casus potest accidere. Primò, quia aberravit inculpabiliter à scopo, & sic volens occidere Paulum, occidit Petrum ibi vicinum. Vel quia occidit Petrum, credens eum esse Paulum; quem Petrum si cognovisset, non occidisset. In utroque casu mens Doctorum est, quod si omnino inadvertenter, & adhibita diligentia ad non errandum, erravit, Ecclesia non est polluta; quia

Erot. Eccl. Cap. XXIX. De Sacril. per effusionem &c 41

quia homicidium est omnino involuntarium. Passerin. d. disp. 5. cap. 13. Porro non ita facile erit probare, quod erraverit inculpabiliter, quia qui talia sunt acturi, non solent fatagere, & ab errore cavere, ut in praxi videmus quotidie. Hic Patavii accidit nonnullis abhinc annis, ut Regularis quidam volens se vindicare de injuria recepta à Scholare, convocavit nonnullos amicos, & sclopo armatus incescit cum illis ad obvium Scholarem; quem repertum sclopo voluit interimere, sed ita incaute, ut ictus & pila sclopi feriret unum ex amicis, qui dictum Regularem comitabatur. En? Quomodo dici potest, quod ista Regularis faciendo, adhibuerit omnem diligentiam, ne erraret.

9. *Quer.* Quidam decreverat occidere Petrum, & Paulum; & repertum Paulum in Ecclesia occidit, credens esse Petrum, eritne Ecclesia polluta? *Resp.* Negative secundum Passerinum d. cap. 13. num. 6. Sed ego contrarium dico; quia cum decrevisset occidere etiam Petrum, homicidium fuit voluntarium.

10. *Quer.* An per homicidium ex joco, vel ludo secutum Ecclesia polluat? *Resp.* Negative, quando in jocando, vel ludendo non poterat praevideri periculum homicidii. DD. quos allegat, & sequitur Passerin. d. disp. 5. cap. 14. num. 4. & Jordan. lib. 5. tit. 12. num. 41. & seqq.

11. *Quer.* An remaneat polluta Ecclesia, si homicidium in ea fiat à puero ante usum rationis, ab amente, ebrio, vel furioso, vel dormiente? *Resp.* Non remanere pollutam, quando occidens talis est, ut à peccato mortali valeat excusari. Passerin. d. disp. 5. cap. 15. Ideò, si occisor coacte occidisset, id est, sub gravi metu sic ab alio excitatus, Ecclesia esset polluta, quia in hoc casu non potest à peccato excusari. Passerin. *ibid.* cap. 16. & Caramuel in Theol. Moral. lib. 4. de quinto Decal. precepto num. 1597.

12. *Quer.* An pollutio fiat Ecclesiae, si quis voluerit leviter tantum percutere, & nullatenus occidere, & tamen ex ea percussione sequutum est homicidium? *Resp.* Negative, si non potuit praevidere, quod ex ea percussione sequeretur mors, & fuit mortalis percussio tantum ex accidenti improvise. E. G. si quis daret pugnum in humeris, vel in lumbis, & in eo instanti alius extolleret ei brachium, ita, ut percuteret penes oculum, vel alter se curvaret quam citissime; tunc enim, quia praevidere non poterat, percussione mortalem futuram, Ecclesia non censetur polluta. Passerin. d. disp. 5. cap. 20.

13. *Quer.* An sit Ecclesia polluta ob percussione levem, ex qua sequitur mors ex deficiente medicorum, vel medicaminum? *Resp.* Si percussor praevidit, deficere medicos, vel medicamina, & sic levem percussione posse causare mortem, & in hoc casu, Ecclesia remanet polluta. Aut non praevidit, & tunc non subjacet pollutioni. Passerin. alios citans disp. 5. cap. 22. & cap. 23. ubi id ampliat, etiam si percussus obiisset ex incuria medicorum.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

14. *Quer.* An polluat Ecclesia, si quis in ea dederit alicui venenum, quo sumpto, abiit, & domi obiit? *Resp.* Affirmative, quando scienter, & animo occidendi datum est venenum. Passerin. d. disp. 5. cap. 24. num. 7. id extendit etiam, quando quis peste infectus tangeret alium in Ecclesia animo eum inficiendi, & vita privandi.

15. *Quer.* An per homicidium ex abortu factum in Ecclesia, ipsa polluat? *Resp.* Affirmative, si foetus erat animatus, & abortus procuratus fuit mediis directe tendentibus ad occidendum foetum; secus autem, si principaliter tenderet ad salutem matris procurandam, vel propinatum esset poculum ad amorem. Passerin. d. disp. 5. cap. 25. ubi num. 5. addit, quod si ex poculo abortionis mater ipsa moreretur in Ecclesia, multò magis esset polluta. Et in his omnibus casibus supponendum semper est, delicta, & operationes ad hac delicta contrahenda, esse debere publica, vel publicitate juris, vel facti, vel ex publica voce, & fama. Idem Passerin. de Pollut. Eccles. disp. 3. cap. 12. & disp. 4. cap. 1. & 2. ubi DD.

16. *Quer.* An sit polluta Ecclesia, si quis puta cecus in ea occumbat ex præcipitio, aut alio offendiculo ei præparato tantum ad risum movendum? *Resp.* Si præcipitium tale fuit, ut de per se aptum foret ad necem inferendam, utique Ecclesia remaneret polluta, secus autem, si de per se non habebat aptitudinem necis, sed ex accidenti occubuit. Passerin. d. disp. 5. cap. 27. per totum.

17. *Quer.* An remaneat Ecclesia polluta, si quis in ea occidatur à bruto, puta à Cane rabido, vel Urso ad talem effectum concitatum, vel conductum? *Resp.* Quod in tali casu Passerinus d. disp. 5. cap. 28. tenet opinionem negativam, ea ratione, quia Ursus, vel Canis occidens non sunt instrumentum, quo utitur homo ad occidendum; sed sunt causae efficientes ipsius occisionis; & quia in eis non potest esse animus injuriandi Ecclesiam, ideò ea non polluitur. Cæterum hæc opinio mihi non placet; quia, etsi in se bruta sint causae efficientes homicidii, tamen quoad hominem inimicum volentem occidere, & qui ea ibi conduxit, & excitavit ad occisionem, habent vim Instrumenti; & sicut polluitur Ecclesia ex occisione facta cum percussione saxi, vel sclopi, cur ni etiam pollui debeat per excitatum Ursus, vel rabidum Canem, quando malitiose, & culpabiliter ad homicidium faciendum excitati sunt? Imò ego dicerem, quod pollueretur Ecclesia, si ex accidenti animal brutum aufugiens de manu custodis, occideret in Ecclesia aliquem, quando custos animalis poterat fugam praevidere, & non erat moraliter certus de bona custodia ejusdem animalis; ut hic Patavii aliquando accidit de Ursis penes Viros nobiles ad pompam custoditis, qui ex abrupto ob incuriam, & sic ob culpam custodum, pueros occiderunt.

18. *Quer.* An polluat Ecclesia, si quis in ea occidat aggressorem ad suæ vitæ defensionem cum moderamine inculpata tutele?

F

42 Erot. Eccl. Cap. XXIX. De Sacril. per effusionem &c.

tela? *Resp.* Non pollui, quia licita est occisio, & defensio; imò non pollueretur, si occideret quis aggressorem cum dicto moderamine etiam ad tuendam vitam sui proximi; ac etiam ad tuenda bona sua, & bona proximi innocentis, pariterque in defendendo honore suo, & honore proximi iniuste invasi in Ecclesia, dummodo semper occisio iniusti aggressoris fieret cum moderamine inculpatae tutelae. Passerin. qui plenè disputat de his omnibus, & DD. cumulat *d. disp. 5. cap. 29. 30. 31. 32. & 33.* & responderet illi objectioni, quod sumus obligati magis diligere vitam proximi, quam bona nostra; nam obiectio, seu hæc ratio procedit, quando proximus est in necessitate, & potest juvari re nostra, secus quando vult violenter bona nostra arripere.

19. *Quer.* An, si quis cum moderamine inculpatae tutelae suscipiat duellum in Ecclesia, & in eo occidat inimicum, censenda sit Ecclesia polluta? *Resp.* Passerinum sentire, quod non sit polluta, supposito, quod duellum suscipiatur ex præcisa necessitate, quo casu verè, & propriè non potest dici duellum, sed iusta defensio; quia ut duellum dicatur, debet ex condicto determinari tempus, & locus ad pugnandum. Idèò, qui acceptaret pro loco Ecclesiam ad duellum, illam pollueret feriendo. Passerin. *d. disp. 5. cap. 34.* ubi DD. & *cap. 36.* ubi firmat, Ecclesiam remanere pollutam, si foret in occisione excessus moderaminis inculpatae tutelae, quamvis ex defensione fieret occisio.

20. *Quer.* Quid dicendum, si quis occidat in Ecclesia invasorem, quando fugere poterat? *Resp.* Cum distinctione, vel fuga erat ignominiosa, ut in nobili viro, vel milite; vel non erat ignominiosa, ut in Religioso, vel in plebejo. Primo casu certum est, Ecclesiam non pollui. In Secundo sunt hinc inde opiniones, sed Passerin. *disp. 5. cap. 37.* tenet adhuc, Ecclesiam non pollui, quia non fugere in Religioso, & plebejo non est peccatum contra Iustitiam, sed tantum contra charitatem. Lessius *de Just. & Jure lib. 2. cap. 9. dub. 21. num. 136.* Diana *par. 5. tract. 4. resol. 48. & 49.* Porro, extra controversiam est, Ecclesiam non pollui ex homicidio commissio ex solo defectu charitatis.

21. *Quer.* An proveniat Ecclesiae pollutio, quando in Ecclesia occiditur invasor, antequam invadere incipiat; vel postquam complevit invasionem, & exinde discedebat? *Resp.* Non provenire pollutionem, quando in utroque casu occisio sic proxima est invasioni, ut vel ante, vel post habeat naturam necessariæ defensionis. Quod si necessitas defensionis cessaret, Ecclesia pollueretur; quia homicidium remaneret iniustum. Passerin. ex pluribus rationibus & DD. *d. disp. 5. cap. 38. & 39.*

22. *Quer.* An polluat Ecclesia, si in ea occidatur mulier à marito comprehensa in adulterio, ac simul ipse adulter? *Resp.* Eam pollui, quia, licet leges civiles concedant talia homicidia, Jus Canonicum tanquam peccaminosa ea damnat, sicque sunt illicita. Farinac. *quest. 121. num. 55.* Sanchez *de Ma-*

trim. lib. 10. num. 39. & sic tenet Passerin. *d. disp. 5. cap. 40.* ubi num. 5. è contra advertit, quod si adulter, seu mulier se defendendo cum moderamine inculpatae tutelae contra invasionem mariti, occiderent ibi in Ecclesia ipsum maritum, Ecclesia non esset polluta; quia licet causam dederint invasioni, tamen non amiserunt jus se defendendi, quod est valdè notabile. Item eo loci notat, quod etsi non liceat marito occidere adulterum deprehensum in adulterio cum sua uxore, tamen si id faciat, & adulter esset Clericus, non incurreret in excommunicationem ex text. in cap. Si verò, il primo de Sen. excomm.

23. *Quer.* An Ecclesia sit censenda polluta, si reus occidatur in Ecclesia ipsa decreto publicæ auctoritatis? *Resp.* Pollutam censeri, quia iniustum esset tale decretum, & sic homicidium; cum publica auctoritas secularis non habeat jus in loco Sacro. Quod si esset auctoritas publica Ecclesiastica, nili proveniret à Summo Pontifice, adhuc esset illicita, & iniusta, & sic causativa pollutionis. Passerin. *d. disp. 5. cap. 41. & 42.*

24. *Quer.* An cauletur Ecclesiae Pollutio, si in ea occidatur reus, qui ex Bulla Greg. XIV. non est dignus Ecclesiae immunitate? *Resp.* Pollutionem caulari, quia etsi licita sit extractio Rei ab Ecclesia, servatis servandis, non est licita occisio. Passerin. *d. disp. 5. cap. 43. & cap. 44.* ubi id ipsum firmat de excommunicatis, & interdictis, & capitaliter ban- nitis, etiam ob crimen exceptum ab immunitate Ecclesiae.

25. *Quer.* An si quis seipsum occidat in Ecclesia, remaneat polluta? *Resp.* Affirmative, DD. quos allegat Passerin. *d. disp. 5. cap. 45.*

26. *Quer.* An si occidatur in Ecclesia seditiosus, aut perturbator Reipublicæ, qui alibi capi, aut occidi non possit, Ecclesia polluat? *Resp.* Si concurrat consensus Ecclesiae, & ea occisio tanquam necessaria iustè decernatur, Ecclesiam non pollui; alias pollutam remanere. Passerin. *d. disp. 5. cap. 46.*

27. *Quer.* Si mulier gravida moriatur, & deferatur ad Ecclesiam cum foetu adhuc vivo in visceribus, qui subindè in Ecclesia moriatur, an in hoc casu Ecclesia sit polluta? *Resp.* Negative, quando vel ex inadvertentia, vel ex incuria parentum sic moriatur. At affirmative, si quis positivè, & physicè cooperaretur ad foetus necem consequendam. Passerin. *d. disp. 5. cap. 47.*

28. *Quer.* An polluat Ecclesia, si in ea mors hominis sequatur per Magicum maleficium illi immisum? *Resp.* Non pollui, quia non est homicidium violentum patratum ab alio homine, sed opè Dæmonis, & à Dæmone, sic Deo permittente. Passerin. *d. disp. 5. cap. 48.* ubi num. 5. id extendit, etiam si quis à Dæmone violenter occideretur assumpta forma, & figura hominis.

29. *Quer.* Quid dicendum de homicidio commissio in Ecclesia ab Energumenis, seu Lunaticis? *Resp.* Si tales non erant compotes mentis, Ecclesia non polluitur, secus autem, si mentis rationem tunc habebant. Passerin. *d. disp. 5. cap. 49.*

30. *Quer.*

Erot. Eccles. Cap. XXIX. De Sacril. per effusionem. 43

30. *Quer.* Quid juris, si Martyrum occisio in Ecclesia fiat? *Resp.* Ecclesiam pollui, non quidem ob sanguinem Martyrum, qui sanctus, & innocens est, sed ob injustam, & sacrilegam occisionem. Passerin. pluribus citatis d. disp. 5. cap. 50. num. 4. ubi num. 5. notat, quod licet in tali casu Ecclesia sit reconcilianda, tamen locus sanguinis effusi non est lavandus, ut in aliis homicidiis, sed potius sanguis ipse tanquam sacer colligendus, & asservandus.

31. *Quer.* An Ecclesia ex vulnere ibi inflicto sine sanguinis effusione polluitur? *Resp.* Affirmative, quando vulnus fuit grave, & injuriosum; quia non est necessaria effusio sanguinis ad pollutionem. Passerin. disp. 6. cap. 1.

32. *Quer.* An ex quocunque vulnere sive gravi, sive levi inflicto in Ecclesia, ipsa polluitur? *Resp.* Negative; quia tantum grave vulnus eam polluit. Porro, gravitas vulneris non est desumenda ex magna quantitate sanguinis effusi; & contra vulneris parvitas non est aestimanda ex sanguinis effusi parvitate; quia pollutio pendet ex vulnere causante lationem gravem in vulnerato. Passerin. d. disp. 6. cap. 2.

33. *Quer.* An si quis alteri in Ecclesia os, brachium, vel crus frangat, sine tamen scissura carnis, vel cutis, inducatur pollutio? *Resp.* Negative, quia necesse est, fieri scissuram carnis, & sic eam rumpi, & aperiri. Ideo, si tantum tumefiat, non erit Ecclesia polluta, quod si statim tumefactio scindatur, & aperiat, in hoc casu pollutio erit. Passerin. d. disp. 6. cap. 3. & cap. 4.

34. *Quer.* Quale debeat esse vulnus, ut causet pollutionem? *Resp.* Debet esse grave in se, non quod sit causativum mortis in vulnerato, sed quod habeat in se grave damnum, & factum sit cum culpa gravi: ideò, vulnus levi respectu damni, quamvis gravissimum respectu injuriæ non causat pollutionem. Passerin. d. disp. 6. cap. 5. & cap. 6.

35. *Quer.* An Ecclesia polluitur ex vulneribus inflictis ibi homini mortuo? *Resp.* Esse hinc inde contrarias Doctorum opiniones. Sed magis probabilem esse negativam, quia cadaver non est homo, & tale dicitur, quasi caro data vermicibus, & ideò non causat pollutionem, quamvis ex vulneribus sanguis prorumpat; prout non polluitur ex quocunque alio sanguine non humano, puta brutorum, vel avium. Barbof. allegat. 28. num. 32. Passerin. d. disp. 6. cap. 7.

36. *Quer.* An magna sanguinis effusio è naribus, ob percussione in Ecclesia, operetur pollutionem? *Resp.* Quod ipsa sanguinis effusio, de per se, quamvis magna, non operatur pollutionem Ecclesie; quia ulterius requiritur, quod percussio sit gravis in se, & peccaminosa. Ideò, si sanguis è naribus fluxerit ob gravem percussione, Ecclesia polluetur, secus autem, si è levi percussione, vel ex joco. Passerin. d. disp. 6. cap. 9.

37. *Quer.* An, si quis injuriose sibi causet magnum Ulcus in corpore, vel cum veneno, vel cum mineralibus, argento vivo,

calce, & similibus, polluitur Ecclesia? *Resp.* Negative, licet ex ulcere illata profluat pus sanguinolentum, vel ipse sanguis; quia Sacri Canones loquuntur de vulneribus, non de ulceribus, Cap. Proposuit. De Consecr. Eccles. vel Alt. in 6. Ideò, ubi non est percussio, inde non venit pollutio, & sic, si venam quis sibi rumperet in pectore, vel cum veneno, vel inflatione, & conatu, dummodo se non percutiat, Ecclesia non polluitur. Passerin. d. disp. 6. cap. 10. & cap. 11. ubi magis firmat, requiri gravem, & injuriosam percussione.

38. *Quer.* An ex vulneribus Sacre Eucharistie inflictis per impium hominem, & ex sanguine miraculoso inde erumpente, ut sæpe accidit, Ecclesia polluitur? *Resp.* Negative, quia impia illa percussio non est in corpore passibili, prout Sacri Canones requirunt; & licet in Hostia Sacra verè sit Corpus Christi vivum, & humanum, tamen non est per modum corporis humani, sed per modum cibi; ideò non causaretur Ecclesie pollutio. Passerin. d. disp. 6. cap. 11.

39. *Quer.* An omnis locus Sacer sit capax Pollutionis? *Resp.* Negative, quia tantummodo Ecclesie, & Cimiteria sunt subiectum pollutionis, nam de his duobus tantummodo Sacri Canones loquuntur, Passerin. disp. 2. cap. 2. num. 4.

40. *Quer.* Quæ veniant nomine Ecclesie, & sint capacia Pollutionis? *Resp.* Hæc omnia nomine Ecclesie venire; videlicet Ecclesias ipsas consecratas, vel benedictas. Oratoria publica benedicta; nec non Capellas Eremitarum. Item Ecclesias ab infidelibus in Meschitas conversas, Ecclesias quamvis non completæ fabricæ, si una pars fuerit benedicta. Ecclesias plenè, vel semidirutas, si spes est reedificationis. Ecclesias licet interditas, vel antea pollutas, & non reconciliatas; nam qui novam pollutionem in eis committit, novum Sacrilegium patrat. Capellas omnes interiores Ecclesie, Baptisteria quæcunque. Tectum Ecclesie interiorius, Scalas interiores, Mesaulos, & Andrones, vulgò Andii. Coronas, vulgò Cornicioni, & Podia, vulgò Poggiuoli. Confessionalia interiora, Organorum loca, & Musicorum Ocea, Pulpita, & Suggesta ad prædicandum. Chorum unitum Ecclesie. Rotas pro Monialibus in ipsa Ecclesia; & Armaria. Item locum Sacrarum Reliquiarum, quæ ibi tanquam perpetuæ Sepulture traditæ reperiuntur. Hæc omnia loca sunt capacia Pollutionis, ut abundè disputat, & demonstrat Passerin. disp. 2. per plura capita; DD. cumulans.

41. *Quer.* Quæ non sint capacia Pollutionis, & non veniant nomine Ecclesie? Quod infra scripta, videlicet: Ecclesie nondum benedictæ. Oratoria privata. Oratoria in Palatiis Cardinalium, Episcoporum, Potestatum, seu Civitatum Rectorum, Hospitalium, & Conventuum Regularium. Ecclesie ab hæreticis benedictæ. Synagoge hebræorum. Ecclesia ampliata, vel reedificata nondum benedicta. Intertectum Ecclesie, quod non videtur à stantibus

44 Erot. Eccles. Cap. XXX. De Sacril. in loco Sacro &c.

tibus in Ecclesia. Loca subter Pavimentum Ecclesie, in quo non sepeliuntur fideles, vel Altaria non sunt; ut subter Ecclesiam Monasterii S. Mariæ de Pratalea Dicecesis Paduanæ. Sacristia, nisi Missa in ea dicatur, vel detur sepultura fidelibus, ut est illa S. Augustini de Padua. Campanile. Cellar, aut Camera propè Ecclesiam. Vestibula, & Ostia ipsa Ecclesiarum. Fenestræ & Scaphæ, id est, Nichii exteriores. Tribuna, seu cellula ad audiendam Missam. Locus, in quo sunt Armaria cum Sacris Reliquiis, in Vasculis, Thecis, & Capsulis. Altaria portatilia, Calices, & Patinæ. Hæc omnia sunt incapacia Pollutionis, & si in eis effusio Sanguinis, vel Seminis humani sequatur, non est opus, ut Ecclesia reconcilietur. Passerin. per plura capita sigillatim de omnibus disputans d. disp. 2.

42. *Quer.* An Cæmeteria sint capacia Pollutionis? *Resp.* Affirmativè. Et nomine Cæmeterii intelligitur omnis Locus Sacer ab Episcopo benedictus, & deputatus sepulture fidelium, Ricciull. de Jure Pers. lib. 4. cap. 60. num. 20. Passerin. dict. disp. 2. cap. 46. ubi num. 4. notat, nihil interesse, si vè Cæmeteria sint Ecclesie contigua, si vè sint ab Ecclesia separata. Et num. 5. advertit, Cæmeteria, atque Ecclesias quoad Consecrationem, vel benedictionem, Sacrilegium, Immunitatem, Interdictum, Pollutionem, & Reconciliationem pari passu ambulare; Eo excepto, quod polluta Ecclesia censetur pollutum etiam Cæmeterium, sed non è contra.

43. *Quer.* An pollutio Ecclesie afficiat etiam Cæmeterium? *Resp.* Affirmativè, quando Cæmeterium est continuum, vel contiguum Ecclesie. Quod si sit alterum Cæmeterium contiguum primo Cæmeterio; primum remanet pollutum, tanquam Ecclesie contiguum, non autem hoc secundum. Passerin. d. disp. 2. cap. 47. & cap. 48.

44. *Quer.* Si quis vulneraretur itans in fenestra exteriori Ecclesie supra Cæmeterium contiguum, an polluat Ecclesia, vel Cæmeterium? *Resp.* Pollui Cæmeterium. Barbosa, in votis decisivis lib. 3. vot. 117. num. 43. & 44. Passerin. d. disp. 2. cap. 50. num. 10.

CAPUT XXX.

De Sacrilegio in loco Sacro per Seminis humani effusionem.

1. *Quer.* Quomodo Ecclesia polluat per effusionem Seminis? *Resp.* Eam pollui per effusionem peccaminosam seminis humani, si vè maris tantum, si vè femine tantum, si vè utriusque, & si vè homo sit fidelis, si vè sit infidelis. Hinc per semen brutorum, quamvis homine cooperante, non pollui, docet Passerin. de Pollut. Eccles. disp. 7. cap. 1. Hoc tamen semper supposito, quod talis effusio publica sit, & non solum occulta. Sanchez. de Matrim. lib. 9. disp. 15. n. 11. Passerin. disp. 3. cap. 12.

2. *Quer.* An Ecclesia polluat per Menstruorum femine effusionem? *Resp.* Nega-

tivè, quia purgamenta mulierum, & alii humores ab eis effluentes non sunt verum semen. Barbosa, alleg. 28. num. 43. Passerin. disp. 7. cap. 2.

3. *Quer.* An polluat Ecclesia per effusio- nem seminis factam in fomno, vel ab ebrio? *Resp.* Negativè, quia semper debet esse voluntaria, & peccaminosa cum mortali peccato. DD. apud Passerin. d. disp. 7. cap. 3. & cap. 4. ubi subdit, quod si effusio ipsa seminis non sit peccaminosa, sed postea talis fiat ob complacentiam, & delectationem, nihilominus Ecclesiam non esse pollutam.

4. *Quer.* Quid Juris, si seminis effusio non sit peccaminosa in effundente, puta quia dormiat, vel sit amens, vel coactus; sed sit peccaminosa in altero, eam tactibus, & confractione procurante? *Resp.* In hoc casu Ecclesiam non pollui, quia effusio seminis debet esse peccaminosa in ipso effundente, & sic in eo omnino voluntaria. Passerin. d. disp. 7. cap. 5. & cap. 6. ubi id extendit, etiam si ipse effundens dedisset causam peccaminosam effusioni seminis, quam postea retractasset per penitentiam, ita, ut effusio ipsa non esset peccaminosa, nam neque in hoc casu Ecclesia pollueretur.

5. *Quer.* Cum pollutio hominis extra copulam carnalem soleat esse peccaminosa in tribus casibus. Primò, si deliberatè desideretur ob delectationem veneream. Secundò, si deliberatè procuretur tactibus, vel aspectibus turpibus; & Tertio, si non removeatur causa operativa pollutionis, ut est potatio, saltatio, &c. An in his tribus casibus semine effluente in Ecclesia, ipsa Ecclesia polluat? *Resp.* Quoad primum casum non pollui, quia pollutio Ecclesie non resultat ex effusione seminis proveniente à sola causa interna. In secundo & tertio casu pollui; quia causa efficiens effusionis seminis est externa, physica, & positiva. Quod si causa esset tantum negativa, & consisteret in omissione remediorum pro impedienda seminis effusione, non pollueretur Ecclesia, ut subtiliter disputat Passerin. d. disp. 7. cap. 8. 9. & 10.

6. *Quer.* An sit necesse ad Ecclesie pollutionem, ut semen humanum cadat in terram, & solum Ecclesie attingat? *Resp.* Negativè, quia pollutio Ecclesie provenit non ex contactu humani seminis, sed ex turpi, & injuriosa effusione, ideòque, licet semen recipiatur vel in vase femineo, vel in veste, vel in sudariolo, semper Ecclesia polluitur; supposita publicitate turpis hujus effusionis, vel ex reorum confessione, vel ex testimonio eorum, qui aderant. Jordan. lib. 5. tit. 12. num. 110. & Passerin. d. disp. 7. cap. 11. ubi confutat Graffium Decis. Aur. part. 1. lib. 2. cap. 48. num. 26. contrarium scribentem.

7. *Quer.* Quanta seminis humani copia requiratur ad polluemdam Ecclesiam? *Resp.* Quæcunque quantitas seminis sufficit ad eam polluemdam, dummodò sit effusio seminis, non autem simplex distillatio, vel alius humor, aut fluxus, & gonorrhæa; &c. in eo solet discerni, quod semen effunditur cum carnis voluptate, & genitalis membra